




Biblioteca  Valenciana



31000005088037



XVII
1094 (1-4)



REGIA SENTENTIA

L A T E

IN REGIA VALENTINA AUDIENTIA

Die 21. Maii 1681.

EX DELIBERATIONE

S. S. R. A. CONSILII

REFERENTE

D. FRANCISCO ORTIN ET LLUQUI, GENEROSO,
in dicta Audientia Auditor:

IN CAUSIS

*SUPER POSSESSIONE CATHEDRÆ SECUNDARIE
Legum, & Præposituræ eidem affectæ, & reprobationis, &
nominacionis respectivè Rectoris Universitatis
eiusdem Urbis.*

IN FAVORE

CONSULUM JURATORUM, RATIONALIS,
Syndici, & aliorum ad quos spectat electio, & nominatio Ca-
thedraicorum Præpositorum, & D. D. Josephi Garcia de
Azeite, Archidiaconi Aripontis in Catta-
drali Segobricensi.



XVII
1094(1)



QUINQUE
REGIÆ SENTENTIÆ,

L A T Æ
IN REGIA VALENTINA AUDIENTIA
Die 21. Maii 1681.

EX DELIBERATIONE
S. S. R. A. CONSILII.

REFERENTE

D. FRANCISCO ORTIN ET LLUQUI, GENEROSO,
in dicta Audientia Auditore:

IN CAUSIS
SUPER POSSESSIONE CATHEDRÆ SECUNDARIÆ
*Legum, & Præposituræ eidem affectæ, & revocationis, &
nominationis respectivè Rectoris Universitatis
ejusdem Urbis.*

IN FAVOREM
CONSULUM JURATORUM, RATIONALIS,
Syndici, & aliorum ad quos spectat electio, & nominatio Ca-
thedraticorum Præpositorum, & D.D. Josephi Garcia de
Azòr, Archidiaconi Altipontis in Cathe-
drali Segobricensi.



QUINQUE

REGIAE SENTENTIAE

L A T A

IN REGIA VALENTINA AUDIENTIA

Die 21. Maii 1681.

EX DELIBERATIONE

S. S. R. A. CONSILII

REPRESNTANTE

D. FRANCISCO ORTIN ET LUGUI, GENEROSO,

in dicta Audientia Auditor;

IN CAUSIS

SUPER POSSESSIONE CATHEDRAE SECUNDARIAE

Lagam, et proponente eadem parte, et respondentem, et

representante super Regem Universitatis

ipsam Universitatis

IN FAVOREM

CONSULUM JURATORUM, RATIONABILIS

sententia, et libere ad effectum dictae, et ordinario

theologico in Paphos, et D. Jo. de Garcia de

Azor, Archidiaconi Aliphanensis in Cate-

dris Segovicensis

XPS.



RÆSENS causa est summarissimæ possessoriæ, quæ vertitur inter Subsyndicum nostræ Civitatis Valentiaë, Juratos, & alios Electores Cathedralium Præpositurarum, & aliorum Officiorum Universitatis, & Studii Generalis ejusdem Civitatis, & Doctorem Josephum Garcia de Azòr, Presbyterum, Archidiaconum Segobricen. partes ex una, & Doctorem Ludovicum Pastor, & Bertran, dierum minorem ex altera, super possessione, seu quasi Cathedralis secundariæ, vel vespertinæ, facultatis Juris Civilis dictæ Universitatis, & Præposituræ Dignitatis in Sancta Metropolitana Ecclesia Valentina eidem Cathedrali annexæ. Pastor enim firmavit de jure super dicta possessione, seu quasi coram Regente Officium Generalis Gubernationis nostri Regni Valentiaë, sub die decima septima mensis Maii, anni millesimi sexcentissimi octuagesimi, qua admissa, fuit causa evocata ad nostram Regiam Audientiam, & eodem die Josephus Garcia, similem Juris firmam obtulit coram ipsa Regia Audientia, & ea similiter admissa, lis præsens fuit inter dictas partes introducta, & quælibet dictarum partium respectivè alterius partis obtentam firmam revocari, & per se obtentam confirmari supplicavit: & variis diligentibus, positionibus, probationibus, & documentis exhibitis, & factis in dictis processibus, fuerunt ambo cumulati, ac denique Christophorus Romeo, procurator dicti Pastor, comparuit in Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio, & obtinuit litteras causa videndi, & recognoscendi dicti processus, & aliorum ex eodem facto resultantium, sub die vigesimo nono mensis Julii ejusdem anni; quibus sub die nono sequentis mensis Augusti expeditis; earum virtute fuerunt originaliter ducti, & in dicto Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio præsentati, in quo cognitio pendet indecisa, & partes contendunt. Pastor siquidem fundat intentionem in eo, quod Præposituræ dictæ Sanctæ Ecclesiæ, quibus Cathedralis Theologicæ, & utriusque Jurisprudentiæ sunt annexæ, sunt beneficia Ecclesiastica, quæ provideri debent, & de eisdem fieri collatio per Rectorem dictæ Universitatis, ad nominationem, & electionem Consulium Juratorum, Rationalis, Syndici, & aliorum, qui omnes sunt Patroni laici, & in præsentis casu fuerunt negligentes, quia intra tempus à jure præfixum, non præsentarunt, sicque collatio fuit eo ipso ad dictum Rectorem devoluta, à quo collationem obtinuit, & per eundem missus fuit in possessionem Cathedralis, Examinaturæ, & Præposituræ, de quibus sufficienter constat, sicque tanquam possessor legitimus, & adhuc legitimo titulo fulcitus, manutenendus venit, quasvis alias Juris

fir.

4
firmas, & provisiones contrarias revocando. Totum contrarium ex adverso supplicatur, ex multis, & præcipue ex sequentibus: quia Præposituræ tanquam unitæ, seu saltem præfatis Cathedris perpetuo affectæ, non sunt devolubiles, & casu quo tales forent, devolutio non fuit verificata, si etiam verificata foret, provisio ad Rectorem non pertineret; si denique pertineret, collatio fieri non poterat ad favorem dicti Pastor: Et quia Josephus Garcia fuit legitimè electus, institutus, & in possessionem, seu quasi, publicè, palam, & quietè missus, venit contra quoscumque manutenendus, contrariam Juris firmam dicti Pastor revocando; Hinc est quod præcipua quæstio in præsentī casu indaganda consistit, an sint hæ Præposituræ devolubiles; quia cessante devolutione (in qua omnino prætensio dicti Pastor radicatur) lis cessat, & aliæ quæstiones superfluè discutiendæ venirent. Attento itaque, quod SS. Sixtus bonæ memoriæ Papa V. sub die, tertio Kalendas Novembris, anni millesimi quingentesimi octuagesimi quinti, sui Pontificatus primo, ad supplicationem Consulum Juratorum, Rationalis, & Syndici, Præposituram dictam mensis Februarii in dicta S. Ecclesia fundatam perpetuo extinxit, & octodecim alias Præposituras de novo erexit, & pro earum dote, & eas obtinentium comoda sustentatione fructus, & omnia jura illius extinctæ, noviter erectis applicavit: Et quia extinctio, & nova erectio fuerunt factæ pro subventionē jam dictæ Universitatis, & Studii Generalis, & reddituum illius tenuitate vitanda, voluit quod dictæ octodecim Præposituræ, providerentur in totidem Præpositis Cathedraticis nuncupandis, qui apud dictam Ecclesiam residerent, & in totidem Cathedris dictæ Universitatis Theologiam, & utramque Jurisprudentiam moderarentur; forma vero in provisione, & electione servanda talis fuit, quod omnes, & singulæ Præposituræ, quæ tam illa prima vice, à primæ erectione, quam deinceps vacare contigerit dictis Cathedraticis Lectoribus, per Consules, Rationalem, & Syndicum, necnon alios ad quos electio, & deputatio eorundem pertinet, prævio diligenti, & riguroso examine, ac alias juxta ipsius Universitatis instituta, & laudabiles consuetudines eligendis, & deputandis perpetuo affectæ sint, & esse censeantur, ac illis dumtaxat, omnibus aliis prorsus exclusis, per pro tempore existentem Rectorem ejusdem Universitatis, ad nominationem, & electionem Consulum Juratorum, Rationalis, & Syndici, & aliorum intervenire debentium, & solitorum præfatorum sine aliquo obstaculo, ac omni impedimento, & tergiversatione cessante, conferantur, & assignentur, & conferri, & assignari debeant, addita clausula, quamcumque reservationem, etiam apud Sedem excludente, & provisiones, collationes, & dispositiones qualescunque, & quovis modo per Sedem Apostolicam aliter factas, vel faciendas, sub decreto irritanti annullante: taliter, quod jus, nec aliquod adhuc coloratum titulum possidendi tribuant. Innocentius denique X. ex causa
di-

5

diminutionis fructuum, & aliis, ad eorundem Electorum instantiam, sub anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, tertio Idus Februarii, sui Pontificatus quarto, numerum octodecim, ad decem reduxit, & in omnibus aliis Bullam Sixti V. confirmavit. Voluerunt itaque Pontifices, & expressissimis verbis statuerunt; quod collationem Præposituræ præcederet electio Cathedratici, sine hac enim qualitate conferri Præpositura non potest; omnes enim alii demptis Cathedraticis à Præposituris fuerunt exclusi, & inhabiles omnino redditi, & posita qualitate Cathedratici per electionem, necessario collatio sequitur Præposituræ: & ideò iteratis vicibus in Bullis Præposituræ dicuntur ipsis Cathedris affectæ. Voluerunt nec minus, quod Cathedratici eligerentur per Consules Juratos, Rationalem, Syndicum, & alios ad quos electio, & deputatio jam tunc pertinebat, & sic electis collatio per Rectorem necessario, sine aliquo obstaculo fieret, & in electione facienda per eosdem servarentur ejusdem Universitatis statuta, & laudabiles consuetudines; respectu itaque nominationis, & electionis Cathedraticorum nihil Pontifices immutarunt, immo eandem intactam reliquerunt; sicut itaque antea tunc, & in posterum usque ad præsens non fuerit statutus terminus certus, nec determinatus Electoribus, pro similibus electionibus faciendis sub devolutionis pœna, nec tale quid fuerit probatum, nec adhuc deductum, rectè, & necessario sequitur, quod Electores, liberè in quocunque tempore validè eligunt sine incurso alicujus pœnæ, & eo ipso quod SS. Pontifices formam assuetam in his electionibus servari mandarunt, simile tempus indefinitum approbarunt, & devolutionem excluderunt. Hinc etiam oritur quod non præcedente electione, & sequuta Electi collatione fieri non potest Præpositus; si ergo electio non est devolubilis, nec ibidem collatio à qua essentialiter ipsa dependet; ratione igitur affectionis perpetuæ, & liberæ electionis Cathedratici sine præfixione termini, Præposituræ indevolubiles manent. Additur etiam quod aut Electores utuntur facultate quam ante foundationem, vel creationem Præpositurarum habebant, vel alia nova à tempore creationis concessa, ac si antea nullam haberent: si illa prima, omnia prædicta procedunt: si hac secunda, Electores sunt executores suæ Sanctitatis, & uti tales eadem utuntur potestate, sicut itaque Sanctissimo tempus aliquod non currit, nec ibidem executoribus eadem potestate utentibus. Ac denique casu quo prædicta clara, & certa aliquam sollicitam dubitationem admittere possent, observantia per fere centum annos, & ab ipsa Præpositurarum erectione sine interruptione subsequuta, (de qua plenissimè constat) si non præscriptionem, saltem declarationem contra devolutionem expressè inducit, & quodlibet dubium removet. Attento etiam, quod Josephus Garcia de Azòr, fuit legitimè in Cathedraticum Cathedræ secundariæ Juris Civilis vacantis electus, & per Rectorem Universitatis servatis servandis institutus, & in possessionem Cathedræ, examinaturæ, & Præposituræ, pa-

lam, publicè, & quietè Ministris solitis Universitatis intervenientibus missus, merito est manutenendus, & ejus Juris firma confirmanda, & contraria revocanda. Nec obstant eidem Josepho ex adverso opposita, pro quibus diluendis supponendum venit quod factum concludenter probatum, est sequens. Sub die decimo sexto Maii anni millesimi sexcentissimi octuagesimi, inter undecimam, & duodecimam horas post meridiem sub majori umbra noctis fugiendo lucem, de domo continuæ suæ habitationis Universitati contigua, per portam secretam nullis ad id solitis Ministris committantibus, cum solo Notario, & duobus testibus, secum deferendo dictum Pastor, clausis undique januis, Rector Universitatem intravit, & in Capella B. Virginis de Sapientia Præposituræ collationem eidem Pastori dedit, sive de eadem, eundem instituit, & actu continuo in possessionem Cathedræ, & examinatoræ posuit: quo facto, actus possessorios continuando, eadem nocte inter primam, & secundam horas ante meridiem, induti ambo habitu Canonicali in dictam S. Ecclesiam se contulerunt, quando horæ matutinæ actu celebrabantur, & intrantes Chorum, in possessionem Præposituræ pro distributionibus, & reliquis juribus lucrandis, per sessionem in sella in possessionem similiter posuit: quæ omnia eodem die jam sole lucente, ad notitiam Electorum pervenerunt, qui novitate, non visa, audita, nec adhuc excogitata stupefacti, & considerantes se ipsos, Civitatem, & Universitatem enormiter læsos, de concedenti, & efficaci remedio adhibendo cogitarunt, & legitimè congregati, actualem Rectorem quem iidem ipsi creaverant revocarunt, revocationem intimarunt, novum Rectorem nominarunt, & in possessionem pacificam officii publicè, & palam nemine contradicente possuerunt, in Cathedricum dictum Josephum elegerunt, cujus electionis virtute, Rector noviter electus, eundem servatis servandis de Præpositura instituit, & consequenter, per eos, ad quos pertinebat, & Ministris solitis assistentibus Josephus positus fuit in possessionem Cathedræ, Examinaturæ, & Præposituræ, publicè, & palam nullo reclamante, nec contradicente, & quamvis Rector jam revocatus tempore possessionis in dicta S. Ecclesia dixit, quod non consentiebat, quia jam die immediate antecedenti collationem de Præpositura dicto Pastori fecerat, addidit tamen verba sequentia patrio sermone exarata: *T que no obstant lo dit feren lo que be els paregues.* Cum quibus à contradictione destitit, & possessio pacifica fuit continuata. Quo verissimo facto supposito, ad eaque Josepho opponuntur facile respondetur: Non enim obstat primum de anteriori collatione, & possessione dicti Pastor; collatio enim tanquam facta à non habente potestatem, & in subjecto inhabili, ex defectu qualitatis Cathedratici, & obstante decreto irritanti fuit notoriè nulla; sicque impedire non potuit collationem legitimè faciendam; haberi enim debet tanquam si facta non fuisset. Possessio nec minus ex defectu notorio tituli, & sic ju-

ris improbi, fuit injusta, vitiosa, clandestina, intrusa, insolita, & attentata, taliter quod possessio dici non valeat, nec nominari, imo ea non obstant, Præposituram vacare dicendum, tanquam si nunquam possessio illa apprehensa fuisset, sicque anterior, nec posterior censenda venit: Nec secundum de defectu potestatis Rectoris noviter electi, quia antecessor fuit nulliter revocatus; Electores enim ex causa Rectorem remove possunt: Sic per Nos invenitur decisum, & per Electores practicum: causa fuit gravissima, & vix major accidere poterat in offensam Electorum: & quia factum fuit notorium, nec aliquando posset Rector, & si citatus operationes suas justificare, (pro ut nec postea auditus justificavit) citatio necessaria non fuit, & sicut idem ipse contra Electores solum de facto processit offendendo, multo melius inevitabiliter, & in sui defensionem utentes jure suo, eundem Electores removendo valide, & legitime processerunt: & quidquid de hoc foret, Josephus comparuit coram Rectore pacifice possidente, & officium exercente, & non tenebatur aliud investigare, ad validitatem suæ collationis, sive eam colorandam, quod sufficit. Nec denique ultimum de natura hujusmodi summarissimi possessorii, in quo solum attendi debet nudum factum possessionis absque indagatione tituli; hæc enim procedunt quando de titulo non constat, eo verò exhibito pro ut Pastor fecit, & confito de notorio illius vitio, & nullitate, adhuc in profanis manutentio non procedit, quia præsumptio quæ ex possessione resultat, ostenso titulo infecto, & nullo, omnino cessat: & multo melius in beneficialibus, ne detur vitiosus ingressus, ad quem effectum, quamvis Judices sæculares de titulo cognoscere non valent pro proprietate decidenda, incidenter tamen gustare possunt de justitia, vel injustitia illius, ut de possessione melius judicium proferant. Ex quibus, & plurimis aliis consultò omisis, Deliberationem, & conclusionem in S. S. R. A. C. sumptam, Nobisque transmissam insequendo, Pronuntiamus, sententiamus, & declaramus, Juris firmam obtentam per Doctorem Josephum Garcia de Azòr, forè, & esse confirmandam, ut cum præsentem confirmamus, & eundem in possessione, seu quasi Cathedræ secundariæ Juris Civilis, & Præposituræ eidem affectæ manutenendum, & conservandum esse; contrariam verò Juris firmam obtentam per Doctorem Ludovicum Pastor, & Bertran, forè, & esse revocandam, ut cum præsentem revocamus, & neutram partium in expensis condemnamus, sed pro bis tractis executionem fieri jubemus.

Don Carolus Valterra, Regens.

Vt. D. Carolus Coloma.

Vt. D. Jacobus Madroño.

Vt. D. Didacus de Scals, & Salzedo.

Publicata fuit hujusmodi Regia Sententia per Josephum Laurentium de Saboya Militem Regii Mandati Scribam, die vigesimo primo mensis Maii anno à Nativitate Dñi millesimo sexcentesimo

simo octuagesimo primo. Instante, & humiliter supplicante Josephi Fuentes, Notario, Subsyndico præsentis Urbis, parte altera absente citata, & non comparente. Præsentibus pro testibus Ludovico Ferrera, Generoso, & Eusebio de Benavides, Regiis Conscribis Mandati, Ludovico Ribes, & Matthia Albiñana, Notariis Valentiaë habitatoribus, & aliis quam plurimis ibi assistentibus in multitudine copiosa.

X P S.

ATTENTO, quod præsens causa pendet inter Doctorem Ludovicum Pastor, & Bertran, Agentem ex una, & Subsyndicum præsentis Urbis dicto nomine, & uti procuratorem Doctoris Josephi Garcia de Azòr, defendentes ex alia; Actor enim sub die decimo octavo Maii, millesimo sexcentesimo octuagesimo, in hac Regia Audientia comparuit, asserendo se esse in possessione, seu quasi pacifica, & titulata Præposituræ secundariæ Juris Civilis, & Cathedræ eidem annexæ, super qua possessione firmaverat de Jure coram Regente Officium Generalis Gubernatoris, sub die decimo septimo Maii, anni millesimi sexcentesimi octuagesimi, & obtenta Juris firma, evocata etiam causa ad hanc Regiam Audientiam, & obtenta, & intimata solita inhibitione; his non obstantibus, Jurati, Rationalis, Syndicus, & alii nominarunt in Præpositum ejusdem Præposituræ, & Cathedræ, Doctorem Josephum Garcia de Azòr, & per personam illegitimam fuit, ut prætenditur institutus, & in possessionem misus, quod omne fieri non potuit sine notorio vitio attentati: ex quibus supplicavit declarari omnes dictas operationes nullas, & attentatas, & eas facientes, & exequentes in pœnas dictæ inhibitionis incurrisse. Defendentes verò prædicti prætensionem impugnant, & totum contrarium declarari supplicant. Postea ad instantiam dicti Doctoris Ludovici Pastor, sub die vigesimo nono Julii, ejusdem anni fuerunt à Sacro Supremo Aragonum Consilio, obtentæ literæ causa videndi inter alios præsentis processus, & earum vigore ductus originaliter, & in dicto Sacro Supremo, & Regio Aragonum Consilio præsentatus. Et attento, quod meritis illius exactè perpensis constat de intentione dicti Subsyndici, & procuratoris per ea quæ Nobis latius rescripta fuerunt per dictum Sacrum Supremum Regium Aragonum Consilium super alio ex dictis processibus, in quo iidem Doctores Pastor, & Garcia, super possessione, seu quasi Cathedræ, & Præposituræ secundariæ Juris Civilis litigant, & ex omnibus veniat pronuntiandum, ut infra. Idcirco & alias deliberationem, & conclusionem in Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio sumptam, Nobisque transmissam insequendo, Pronuntiamus, sententiamus, & declaramus, instantiam factam per Doctorem Ludovicum Pastor, & Bertran, sub die decimo octavo Maii, millesimi sexcentesimi octua-

ge-

gesimi non procedere, nec de jure, & alias locum habere; im-
mo operationes quas nullas, & attentatas præterdit conservandas
fore, & esse ut cum præsentibus conservamus, partem neutram in ex-
pensis condemnamus, & pro bis tractis executionem fieri jubemus.

Don Carolus Valtorra, Regens.

Vt. D. Carolus Coloma.

Vt. D. Jacobus Madroño.

Vt. D. Didacus de Scals, & Salzedo.

Publicata fuit hujusmodi Regia Sententia per Eusebium de
Benavides, Regium Scribam Mandati, die vigesimo primo Maii,
millesimo sexcentesimo octuagesimo primo. Instante, & humiliter
supplicante Joseph Fuentes, Notario, Subsyndico præsentis Ci-
vitatatis, alia parte citata, & non comparente. Præsentibus testi-
bus Ludovico Ferrera Generoso, Conscriba Mandati, Joanne Sy-
mian, Matthia Albiñana, Ludovico Ribes Notariis, & aliis Va-
lentiæ habitantibus.

X P S.

ATTENTO, quod præsens causa est possessoria, quæ vertitur
inter Subsyndicum præsentis Civitatis dicto nomine, & tam-
quam procuratorem Consulium Juratorum, Rationalis, & Syn-
dici, & aliorum Electorum Cathedrarum Præpositurarum, & alio-
rum Officiorum Universitatis, & Studii Generalis hujus Civitatis
ex una; & D. Antonium Milan de Aragon, Canonicum Sanctæ Ec-
clesiæ Metropolitanæ Urbis ex alia parte. Syndicus enim dictis
nominibus firmavit de directo in hac Regia Audientia Valentina,
sub die decimo septimo Maii, anni millesimi sexcentissimi octua-
gesimi super pacifica possessione, seu quasi, eligendi, seu provi-
dendi Præposituras dictæ Sanctæ Ecclesiæ, Cathedris Theologiæ,
& utriusque Jurisprudentiæ affectas, semper, & quodcumque
quomodolibet vacant, & hoc absque præfixione temporis, tam
intra quatuor, quàm sex, & plures alios menses absque periculo,
nec aliqua devolutionis poena, videntibus, & tolerantibus Recto-
ribus ejusdem Universitatis, & omnibus aliis, & nemine unquam
contradicente, & hoc ab ipsa erectione Præpositurarum usque
ad præsens continuè, & provisa Juris firma, postea sub die vi-
gesimo nono Maii ejusdem anni, comparuit Joseph Salat, pro-
curator dicti Canonici D. Antonii Milan, & dictam Juris firmam
revocari supplicavit, ex eo quod de tali possessione constare non
poterat casu quo Rectores Universitatis contradicerent, ex eo quod
uti jure devoluto est, quid facultativum, & contra id possessio
nihil operatur, & quia Præpositus Ludovicus Pastor, & Ber-
tran, possidebat Præposituram Jure devoluto ab ipso Milan,
tunc Universitatis Rectore colatam; & variis enantamentis, &
diligentiis, & probationibus hinc inde factis, ad instantiam dicti

Pastor, sub die vigesimo nono Julii ejusdem anni, fuerunt à Sacro Supremo Aragonum Consilio, obtentæ litteræ causa videnti, inter alios, præsentis processus, & earum virtute originaliter ductus, & in dicto Sacro Supremo, & Regio Consilio præsentatus. Et quia meritis illius perpensis constat plenè de possessione, seu quasi firmantium, quin obstant ex aduerso opposita, ex eo quod Præposituræ, de quibus est quæstio, non sunt devolubiles, & collatio per Rectorem Universitatis ad favorem dicti Pastor, facta, & inde prætenfa subsequuta possessio, nullæ, & invalidæ fuerunt, prout per ea quæ Nobis latius rescripta fuerunt per dictum Sacrum Supremum Regium Aragonum Consilium, super alio ex dictis processibus, in quo Doctores Ludovicus Pastor, & Bertran, & Josephus Garcia de Azòr, super possessione, seu quasi Præposituræ secundariæ Juris Civilis litigant. Ex quibus, & aliis venit pronuntiandum, ut infra. Idcirco, & alias deliberationem, & conclusionem in Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio sumptam, Nobisque transmissam insequendo, Pronuntiamus, sententiamus, & declaramus, Juris firmam obtentam per Josephum Fuentes, uti Subsyndicum dictæ Civitatis Valentia, & Juratorum, Rationalis, Syndici, & aliorum Electorum Præpositurarum, & Cathedrarum Universitatis præsentis Civitatis, super possessione, seu quasi supra relata, & in dicta supplicatione Juris firmæ contenta, fore, & esse confirmandam, ut cum præfenti confirmamus, & dictos Electores in eadem possessione, seu quasi manutenendos, & conservandos fore, non obstantibus in contrarium supplicatis, quæ de jure, & aliàs non procedunt; neutram in expensas condemnamus, & pro bistractis executionem fieri jubemus.

Don Carolus Valterra, Regens.

Vt. D. Carolus Coloma.

Vt. D. Jacobus Madroño.

Vt. D. Didacus de Scals, & Salzedo.

Publicata fuit hujusmodi Regia Sententia per Eusebium de Benavides, Regium Scribam Mandati, die vigesimo primo Maii, millesimo sexcentesimo octuagesimo primo. Instante, y humiliter supplicante Joseph Fuentes, Notario, Subsyndico præsentis Civitatis, alia parte citata, & non comparente. Præsentibus testibus Ludovico Ferrera Generoso, Conscriba Mandati, Joanne Symian, Matthia Albiñana, Ludovico Ribes Notariis, & aliis Valentia habitantibus.

X P S.

ATTENTO, quod præfens causa est possessoria, & introducta virtute Juris firmæ oblate coram Regente Officium Generalis Gubernatoris præsentis Civitatis Valentia, die decimo septimo Maii, anni millesimi sexcentesimi octuagesimi, per Gasparem D. Gue-
rau

rau de Arellano Canonicum S. Ecclesiæ Metropolitanæ Valentiniæ, super possessione officii Rectoris Universitatis dictæ Civitatis; qua juris firma provissa, fuit causa evocata ad hanc Sacram Regiam Audientiam, sub die vigesima ejusdem mensis, & anni, & eodem die in eodem processu comparuit D. Antonius Milan de Aragon, Canonicus ejusdem Ecclesiæ, & revocari dictam Juris firmam supplicavit variis ex causis, & rationibus, & aliquibus aliis hinc inde deductis, ad instantiam Doctoris Ludovici Pastor, & Bertran, sub vigesimo nono Julii, anni millesimi sexcentissimi octuagesimi fuerunt obtentæ litteræ causa videndi, inter alios præsentis processus, quarum virtute fuit originaliter ductus, & in Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio præsentatus. Et attento, ejus meritis inspectis constat pro ut requiritur, de possessione, seu quasi dicti Canonici D. Gasparis Guerau, in dicto officio Rectoris Universitatis, non obstantibus in contrarium prætensis, ad quæ sufficienter fuit satisfactum, & ex his, & aliis venit pronuntiandum, ut infra. Idcirco, & alias deliberationem, & conclusionem in Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio sumptam, Nobisque transmissam insequendo, Pronuntiamus, sententiamus, & declaramus, præfatam Juris firmam per dictum Canonicum D. Gasparum Guerau obtentam, fore, & esse confirmandam, ut cum præsentem confirmamus; revocationem vero ex adverso per Canonicum D. Antonium Milan de Aragon supplicatam non procedere, nec de jure, & alias locum habere, & neutram partium in expensis condemnamus, sed pro bis tractis executionem fieri jubemus.

Don Carolus Valterra, Regens.

Vt. D. Carolus Coloma.

Vt. D. Jacobus Madroño.

Vt. D. Didacus de Scals, & Salzedo.

Publicata fuit hujusmodi Regia Sententia per Josephum Laurentium de Saboya Militem Regii Mandati Scribam, die vigesimo primo mensis Maii anno à Nativitate Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo primo. Instante, ac supplicante Joseph Fuentes, Notario, Subsyndico, &c. & Francisco Carrasco Scriptore, procuratore, &c. parte altera absente citata, & non comparente, & præsentibus protestibus Ludovico Ferrera, Generoso, & Eusebio de Benavides, Regiis Mandati Conscribis, Matthia Albiñana, & Ludovico Ribes, Notariis Valentiniæ habitantibus, & aliis quam plurimis ibi assistentibus.

X P S.

ATTENTO, quod præsens causa est recursus interpositi per D. Antonium Milan de Aragon, Canonicum hujus Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ, sub die decimo octavo Maii, anni millesimi sexcentissimi octuagesimi ad hanc Sacram Regiam Audientiam, à revocatione, quàm Jurati, Rationalis, Syndicus, Advocati, & Secretarius, seu Scriba hujus Civitatis, sub die decimo septimo, ejusdem men-

mensis, & anni fecerant de Officio Rectoris Universitatis ad quod fuit dictus Milan nominatus, & actu exercebat, & quia nemo potest privari Officio, quod obtinet sine legitimæ causæ cognitione, & timet quod die illa, & sequentibus conabantur continuare actus litterarios in dicta Universitate, vel alibi, sine sua assistentia, vel sui Vice-Rectoris, quod fieri non debebat, nec permitti sine notorio recurrentis gravamine. Idcirco, & alias virtute dicti recursus supplicavit, eundem admitti, & ejus virtute procedimenta præfata revocari, & mandari suprascriptis Juratis, Rationali, Syndico, & aliis suprascriptis, quatenus non permittant facere, vel exercere quosvis actus litterarios in loco aliquo sine assistentia recurrentis, vel sui Vice-Rectoris, providendo similiter quod interim nihil innovaretur, & fuit mandatum intimari, nihil interim innovando. Josephus vero Fuentes, Subsyndicus hujus Civitatis, & uti procurator Juratorum, Rationalis, Syndici, & aliorum Electorum Cathedrarum, & Præpositurarum Universitatis præsentis Civitatis præfatum recursum impugnavit, & non fuisse justificatum, nec de jure, & alias procedere declarari supplicavit, & variis diligentis hinc inde factis, sub die vigesimo nono Julii ejusdem anni, instante procuratore Doctoris Ludovici Pastor, & Bertran, fuerunt à Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio, obtentæ litteræ causa videndi, inter alios etiam præsentis processus, quarum virtute fuit originaliter ductus, & in dicto Sacro Supremo, & Regio Consilio præsentatus. Et quia meritis illius plenè perpensis sufficienter constat de intentione Subsyndici, & procuratoris Electorum, per ea quæ Nobis latius rescripta fuerunt per dictum Sacrum Supremum Regium Aragonum Consilium, super alio ex dictis processibus, in quo Doctores Ludovicus Pastor, & Bertran, & Josephus Garcia de Azor, super possessione, seu quasi Cathedræ, & Præposituræ secundariæ Juris Civilis litigant, & ex omnibus venit pronuntiandum, ut infra. Idcirco, & alias deliberationem, & conclusionem in Sacro Supremo Regio Aragonum Consilio sumptam, Nobisque transmissam insequendo, Pronuntiamus, sententiamus, & declaramus, recursum interpositum per D. Antonium Milan de Aragon Canonicum, sub die decimo octavo Maii, millesimo sexcentesimo octogesimo, non fuisse nec esse justificatum, nec cætera per eundem, vel suo nomine supplicata procedere, nec de jure, ratione, & alias locum habere, & partem neutram in expensas condemnamus, sed pro bis tractis executionem fieri jubemus.

Don Carolus Valterra, Regens.

Vt. D. Carolus Coloma.

Vt. D. Jacobus Madroño.

Vt. D. Didacus de Scals, & Salzedo.

Publicata fuit hujusmodi Regia Sententia per Eusebium de Benavides, Regium Scribam Mandati, die vigesimo primo Maii, millesimo sexcentesimo octogesimo primo. Instante, y humiliter supplicante Joseph Fuentes, Notario, Subsyndico præsentis Civitatis, alia parte citata, & non comparente. Præsentibus testibus Ludovico Ferrera Generoso, Conscriba Mandati, Joanne Symian, Matthia Albiñana, Ludovico Ribes Notariis, & aliis Valentiaë habitantibus.

